

Klem  
1254

Kern 1254

DISSERTATIO  
MEDICA INAUGURALIS,  
SISTENS  
BREVEM PATHOLOGIAE,  
TAM NERVOSAE,  
QUAM HUMORALIS,  
DELINEATIONEM

CUM RECENSIONE

METHODI MEDENDI HODIERNAE  
PATHOLOGIAE NERVOSAE  
SUPERSTRUCTAE,

QUATENUS

A PRAXI, OLIM PATHOLOGIAE HUMORALI  
ACCOMMODATA, DIFFERT.

PROMOTORE  
VIRO ILLUSTRI  
PHILIPPO FRIEDERICO MECKEL,  
PROFESSORE MEDICINAE ORDINARIO  
INSTITUTI CLINICI CHIRURGICI  
DIRECTORE  
DIE V OCTOBRIS, c<sup>o</sup> i<sup>o</sup> CCXCIII.

AUCTORE  
M O S E M A R X.  
HALENS.

---

HALAE,  
LITTERIS F. W. MICHAELIS.





## PROLEGOMENA.

**M**edicorum praecepta omni tempore ad artis exercitationem ipsam eximie value- runt. Apparet enim, prout diversa me- dicinae praecepta floruerint, ita et diver- sas medicorum sectas existisse. Fuerunt tempora, ubi quemque medendi arti ope- ram dantem, si apud eos, quorum partes sequeretur, clari medici famam obtainere vellet, aut Dogmatici, aut Empirici, aut Methodici nomine, uti oporteret. Postea Galenus idolum quasi erat, cui genua flecte-

rent medici, et adhuc multo post renova-  
tas scientias Galeno addictus esse debebat,  
qui ab odio et persecutione totius medicae  
societatis tutus esse cupiebat. Paulatim orti  
sunt Paracelsi cultores, Helmontiani, Syl-  
viani et alii, usque dum Boerhave, Vir im-  
mortalis, totius artis medicae reformatio-  
nem iniens, omnibus scholarum rixis finem  
tandem imposuit. Attamen eadem aetate  
surrexerunt Stahliani et Hoffmanniani, qui,  
quamvis eorum systemata inter se consen-  
tiebant *a)*, continua tamen distrahebantur

---

*a) Joh. Friedr. Blumenbachs medicinische Bibliothek,*  
Göttingen 1785. 2 Band 2 St. p. 396 - 400.

litibus. Post hoc tempus nulla Medicorum  
schola universalem obtinuit auctoritatem.  
Quanquam enim inventi sunt, qui clarissi-  
morum quorundam virorum, ut Halleri et  
nuperrime Culleni vestigia temere preme-  
rent; tamen, quia ars medica sensim subli-  
miorem ascenderat gradum, et hominis  
mens, e somno quasi excitata, hoc potissi-  
mum aevo eo pervenerat, ut sine aliena ope  
de rebus gravissimis cogitaret, easque dili-  
gentissime exploraret; nulla singularum par-  
tium summam auctoritatem obtinere et de  
ceteris imperium quasi exercere potuit.

Nostris quidem temporibus, qui me-  
dendi scientiam exercent, non amplius, si  
rem rite dijudicare volumus, in contrarias  
sectas disrumpuntur. Illae enim minores  
societas, quae hodie congregantur, cras  
dissipantur, tam parui momenti mihi viden-  
tur, ut isto nomine eas appellare non libeat.  
Quorum tamen, qui adhuc diversas sequun-  
tur partes, notatu digni sunt illi, qui Hu-  
morali, et qui Nervosae Pathologiae adhae-  
rent; inter quos ad hoc usque tempus lis-  
est; quorum systemata quodammodo fibi  
contraria sunt, quorumque vim ad artis  
medicae formam nemo facile negare poterit.

Quotidie scriptum legimus, hunc clarum  
medicum Pathologiam Humoralem, illum  
Nervosam sequi; est, qui Pathologiam Hu-  
moralem ex artis medicae finibus plane re-  
motam, eamque obsoletam, contendat, est,  
qui ejus fundamenta adhuc immota stare,  
glorietur, alii omnes omnino morbos cen-  
sent nervosos, alii nervis minorem tantum  
vim ad morbos procreandos concedunt.

Quae cum ita sint, non alienum a con-  
filio meo videtur, Pathologorum Humora-  
lium et Nervosorum praecepta inter se com-  
parare, quae in utroque systemate vera,  
quaeque praxi digna existimem, excerpere,

et illa denique commemorare, quibus  
praecipue nostri aevi medendi methodus a  
priore differt, ex eo quidem tempore, ubi  
Solidum vivum et praesertim ejus in statu  
morboso conditionem accuratius contem-  
plati sumus.



---

CAPUT PRIMUM.

Systematis Pathologiae Humoralis  
Delineatio.

---

**H**umoralis Pathologiae sistema ex antiquissimis temporibus originem trahit. Priora medicamenta, quibus longe iam ante Hippocratem utebantur, evacuantia erant, in primis purgantia; unde, illius aetatis homines, qua mediorum ars ephebis nondum excesserat, humores iam existimasse morborum causam, eorumque noxiorum evacuationi operam dedisse, aparet. Podalirius, qui puellae regiae venam

A

secavit, primus erat, qui huiusmodi periculum fecit; qua ex re, eum ex sanguine morbi causam derivasse, sequitur. Empedocles iam iam quatuor elementa, aquam, ignem, aerem et terram commemoravit, quibus Galenus postea Pathologiam suam Humoralem eanique artificiosam fundavit. Anaxagoras bilem, gravissimam morborum causam, nominavit. Cnidia schola nulla fere in alia re, quam in evacuandis noxiis et corruptis humoribus versata est. Coi medici magis attendebant ad Solidum vivum, et Hippocratis libri quanquam multa continent de virium vitalium in statu morboſo conditione, tamen Humoralis etiam Pathologiae praeceptis abundant. Cuius de arte medendi meritis mox oblivioni traditis, posteriores medici Humoralis Pathologiae pracepta dederunt a fana ratione alienissima. Tandem surrexit Galenus, omnium, qui unquam Humoralem Pathologiam professi erant, maximus, omnes fere morbos aut a plethora, aut humorib[us] corruptis derivandos esse, docens. Flava

et atra bilis atque mucus praecipuae morborum  
causae sunt, in quibus praecepta ejus, et patho-  
logica et therapeutica continuo vertuntur. Ga-  
leni praecepta diu immutabilia steterunt, et  
cum deinde nova apparuissent morborum gene-  
ra, ut lues venerea, sudor anglicus, scorbutus,  
in quibus humorum corruptionem nemo negare  
poterat, Pathologia Humoralis his morbis, no-  
vis quasi fulcris, gavisa est. Detecta etiam san-  
guinis circulatio inveteratae illi opinioni de hu-  
morum maxima ad morbos vi, valde favebat.  
Sylvius in locum humorum corruptorum, quos  
Galenus defenderat, acidum suum et sal alcali  
substituit, et sistema, quod inde derivabatur,  
sanæ rationi prorsus contrarium, longum per  
tempus, tum arti medicae, tum hominibus  
detrimento, in medicorum scholis auctoritatēm  
obtinuit.

Neque tamen, licet Sylviorum schola, Boer-  
havio praesertim adiuvante, iam effet eversa,

auctoritatem suam amisit Pathologia Humoralis; propterea quod et Boerhavius ipse, et una cum eo plurimi illius aetatis medici, iisque clarissimi, eam fovebant. Qui quidem multa de humorum et sanguinis abundantia praecipientes, plethoram artificiose systemate induerunt, de quo in hodiernis Pathologorum libris plura, quam in ipsa natura, inveniuntur. Minus enim, quam pars est ad nervos, tanquam primam morborum causam respexerunt, cum tamen certum sit, praeternaturalem mixtionem, degenerationem etc. si nervi functiones suas naturae convenienter exercent, locum non habere b). Parem viam ingressi sunt in defectu humorum, quorum corruptiones et acrimoniae, quas commemorant, tam variae sunt atque subtile, ut naturae minime convenient, quamvis in compendiose pathologicis diligentissime dinumerantur.

b) Joh. Ulr. Gottl. Schäffer Verfuch aus der theoretischen Arzneykunde, Nürnberg 1782, I Band  
pag. 85.

Plurimos morbos Humorales Pathologi ex humoribus derivant. Febres, censent, oriri ex corruptis viarum primarum materiis, ex humorum acrimonia eorumque fermentatione, aut si aliud quoddam liquidum vitiosum adsit. Succus acer, corruptus, putridus inflammationem producit, idem specificis quibusdam proprietatis instructus exanthemata acuta et chronica excitat. Virus contagiosum, secundum eorum opinionem, vim suam in humores tantum exercet et horum dissolutionem, spissitudinem, fermentationem aut alium praeter naturalem statum efficit. Rheumatismi, arthritis, podagra, lues venerea, scorbutus, scrofula, rhachitis aliaque innumerabilia mala ex specifica morbi materia et humorum corruptione; iis propria, oriuntur. Hydrops e seri abundantia, spissitudine, acrimonia et corruptione proficiscitur. Tabium causa fere semper est humorum corruptio sive Cachexia, quam nominant. Ipsos nervosos morbos praecipue ex praeter naturali fluidarum corporis partium statu derivant.

Omnia haec Pathologorum systemata, quae posita sunt in assumtis de humorum corruptione praceptoribus, nostris adhuc temporibus sectatores atque defensores habent, quorum alii magis, alii minus morbosas solidarum partium mutationes simul respiciunt. Quaevis iam Humoralium Pathologorum systemata et pracepta, quae nobis adhuc in usu sunt, commemorare non licet. Omnia fere in eo convenient, quod morborum primam causam in humoribus quaerant; acerbis, corruptis et vitiosis humoribus vim ad solidas partes concedunt, et ita harum partium affectiones pro effectibus habent, quorum prima causa in humoribus vitiosis lateat. Nuperrime in primis Stoll et Christian Ludewig Hoffmann Pathologiae Humoralis tutelam suscepserunt, et, ut illa in exercenda arte pondus haberet, dederunt operam. Eorum prior, ut Anaxagoras olim, omnes omnino morbos esse biles deduxit, nec ullum fere morbum inventies, cui in ejus scriptis non tribuatur cognoscere.

— 7 —

men biliosi c). Num ullo quondam tempore tot de febribus biliosis, inflammationibus biliosis, pleuritide biliosa et omnino de morbis biliosis audivimus, quam, ex quo Stollii praecpta in tota Germania erecta sunt ad quandam celebritatem, quae, quod feliciter accidit, sensim iam minuitur. Non omnis enim morbus, in quo symptomata biliosa adsunt, nominari potest biliosus. Bilis enim diu stagnare et tamen diutius quam ceteri humores incorrupta manere potest; et cum tandem corrupta, ea a febre producta et hujus sequela censenda est d). Hoffmann, unus ex perspicacissimis hujus memoriae medicis praecipue studiosum Pathologiae Humoralis defensorem se praebet e). Omnia

---

c) Conf. Viri immortalis *Rationem medendi*. Vindobon. 8.

d) Samuel Gottlieb Vogel Handbuch der praktischen Arzneywissenschaft, Stendal 1785. I Th. p. 320.

e) C. L. Hoffmann Abhandlung von den Pocken I Theil, Münster 1770. II Theil. Maynz 1789. 8.

fere ejus pracepta, quae ei ex parte propria sunt, his continentur sententiis: Hominibus vel optimae valetudinis semper vitiosi, corrupti, putridi humores gignuntur. Corpus autem, ne valetudine secunda careat, a natura instructum est organis excretoriis, quae continuo corruptas humorum particulas auferant et e corpore fecerant. Talia excretoria sunt pulmones, intestina, cutis et fortasse etiam glandulae variolosae f) sub cute latentes et plura alia. Quare, nisi

---

Ejusdem vom Scharbock, von der Lustseuche etc.  
Münster 1782. 8. Ejusd. vermischté medicinische  
Schriften, herausgegeben von H. Chaver. Mün-  
ster 1790 - 1792. 3 Theile 8. Hypothesin Viri  
perspicacissimi de *putredine* humorum in omnibus  
plane febribus, inflammationibus, rel. aliis re-  
futandam relinquo. Moneo tamen, *putredinem*  
*Hoffmanni*, a vera et inter Chemicos recepta pu-  
tredinis idea, quam longissime recedere.

f) Quas ex argumentis, iisque gravissimis nuper ne-  
gavit Vir Cl. C. W. Hufeland: Bemerkungen über  
die Blattern. Leipzig 1793. 8. p. 208 sqq.

colum quoddam functionem rite exercuerit, corrupti humores remanent, qui solidas partes irritando variis in corpore confusionibus occasio- nem praebent. Nec non alia ratione humores corrumpi et putrefieri possunt. Putrida humo- rum acrimonia , secundum systema Hoffmannia- num, febres gignit et inflammations; et succus ossium putridus scorbuti causa est etc.

Quoniam Hoffmanni praecepta singulatim et copiose exponere, hic non est locus, sufficiat ostendere, hoc ipso tempore, ubi quisque Nervosorum Pathologorum ordini adnumerari cu- pit, tamen summae auctoritatis acutissimique in- genii medicos Humorali Pathologiae esse addictos. Ipsi Nervosae Pathologiae cultores et defensores studiosissimi in suis libris humorum vitia et cor- ruptionem commemorant.

---

---

CAPUT SECUNDUM.

Systematis Pathologiae Nervosae Delineatio.

---

Nervosa Pathologia quanquam novissime, et quidem decem abhinc annis demum, universalēm obtinuit auctoritatem: tamen, si quis ejus praecepta etiam recentioribus temporibus orta esse putaret, valde erraret et historiae sene esset imperitissimus. Hippocratem jam solidarum partium conditionem et vim vitalēm in acutis morbis praesertim et crisibus diligenter respexisse scimus. Dolendum certe est, hujus viri praecepta nimis mature oblizioni data fuisse. Qui autem post eum sequabantur, tanto studio dediti fuerunt Pathologiae Humorali, ut solidarum partium, ner-

vorum praecipue, morbos non multum curarent. Sed his forsitan occasio etiam hujus rei defuit. Constat enim, medicos tunc potissimum ad Pathologiam Nervosam duci, si saepius iis adest occasio, solidarum partium morbos, praeternaturalem sensibilitatem et irritabilitatem, spasmos, et, ne multa, totam nervosorum morborum multitudinem observandi. Haec occasio defuit omnibus nationibus, quae minus quidem cultae, quarum autem corpora firmiora et robustiora erant. Nervosorum morborum frequentia in quacunque natione tunc demum appareat, cum in excolandis et perpoliendis moribus altiore gradum ascendit, ac illius et animi et corporis vires extensione et abusu deficere coeperunt. Atque id quidem nobis nunc obtigit! Nostrorum enim aegroti plerumque praeternaturali sensibilitate et irritabilitate ac omnibus quibusque malis nervosis laborant; qua de re non poterat fieri, quin Pathologia Nervosa Humoralis Pathologiae locum priorem quodammodo

occuparet. Primus, qui ex Hippocratis temporibus in Pathologia Nervosa gloriam sibi perit, Helmontius erat. Is prodigialibus, theosophico - alchymisticis verbis plenum Pathologiae Nervosae systema tradidit, quod autem olim minus curarunt, quam nunc, ubi quaecunque pertineant ad Pathologiam Nervosam, exquiruntur. Hoc ineunte seculo Stahlpii celeberrimi novum systema tandem apparuit g). Scholae hujus viri praecepta omnino in solido vivo et ejus in statu praeternaturali conditione nitebantur. Variis rebus, quas hic commemorare non licet, praesertim vero sermone magni hujus viri obscuro, nec non dementibus eorum, qui eum fequebantur, sententiis, quas minus recte magistro suo tribuerunt, quia ipsi eum non intellexerant, effectum est, ut Stahlianum systema nunquam

g) *Theoria medica vera.* Halae 1737. 4. *Dissertationum Volumina II.* Hal. 4.

multis affectatoribus gauderet. Cullenio, medico Anglico contigit, ut Stahlii nostri praceptis pondus et simul Pathologiae Nervosae auctoritatem universalem et affectatorum multitudinem conciliaret b). Ex hujus viri systemate omnes fere morborum causae primam viam in nervos et omnino in partes solidas exercent, et humorum corruptiones sunt nil nisi effectus causae hujus. Omnia fere Humoralium Pathologorum pracepta, quae acrimoniam spectabant, ille removere studuit, et magnam morborum partem, qui hucusque humorales morbi putabantur, nervosos ap-

b) *W. Cullen Anfangsgründe der praktischen Arzneywissenschaft.* Leipzig 1789. IIII Tom. 8.  
Ejusd. Abhandlung über die Materia medica,  
übersetzt von S. Hahnemann. Leipzig 1789.  
II Tom. 8. *Dissertationes medicae Edinburgenses fontes praecipui sunt, e quibus principia Pathologiae Nervosae haurienda,*

pellavit. Praecipua Nervosae Pathologiae praecepta haec fere sunt: Causae morbosae non immediate valent ad humores, (hi enim inertii et mortuae materiae similes sunt) sed ad solidas partes, et nominatim in nervos. Si in morbo quodam humores corrupti sunt, id dependet a statu solidarum partium praeternaturali, quem causa morbosa in his produxit. Contagiosae adeo morborum materiae non in humores sed in nervos tantummodo vim suam transferunt. In his efficiunt statum praeter naturale, qui deinde producit humorum corruptionem, generis nempe specifici, qua contagium longius propagari potest i). Febres et inflammations existunt, si solidae partes sufficienter, sive interna, sive

i) Sic v. g. miasmatis venerei in nervos actionem optime nuper demonstravit Vir Cl. J. C. Reil  
Memorabil. clin. Vol. II, Fasc. II, Halae 1792, 8,

externa causa, irritatae sunt. Humorum corruptiones accidentales modo sunt et consequuntur ex mutatione, quam irritamentum in solidis partibus produxit. In acutis et chronicis exanthematibus status solidarum partium primum obtinet locum, humorum acrimonia aut accidentalis est, aut hypothesis gratia praesumitur. In doloribus et rheumaticis et arthriticis non adest illa acrimonia, quam Pathologi Nervosi rheumaticam, arthriticam aut podagricam vocant, sed horum malorum fons est solidarum partium status praeternaturalis. Hydrops existit; si qua ratione absorbentium vasorum functiones interruptae aut impeditae sunt, atque seri et lymphae vitia accidentalia tantum sunt. Morborum tabescientium princeps causa est solidarum partium laesio, humores autem posthac demum corrupuntur. Nervosos morbos non ab humorum vitiis dependere, quisque concedat oportet. Humoralium Pathologorum praecepta ad

unum omnia inanes sunt opiniones, eorum  
praesertim sistema de plethora, de humorum  
et attenuatione et spissitudine, de salsa eorum  
acrimonia etc. etc.

---

CAPUT



---

CAPUT TERTIUM.

Systematis utriusque, tum Humoralis, tum  
Nervosae Pathologiae, recensio.

---

Cum hujus disputationis fines adeo circumscripti  
sint, ut omnia argumenta, quae et ab illorum  
systematum affectatoribus proferuntur, et ab  
adversariis opponuntur, expendere non liceat;  
confilio meo plane satisfecisse videor, si gene-  
raliter tantum iudicavero, quatenus utrumque  
systema, quod a medico practico aestimetur,  
dignum sit. Hoc meum iudicium commode  
complecti posse videtur his paucis, quae se-  
quuntur:

B

1) Unumquodque horum, quae antea proposuimus, systematum jam propterea pretium habere et sententias, quae minime negari possunt, continere oportet, quia utrumque accepit et omni tempore habuit affectatores perspicacissimos, naturae observandae, veri ac falsi discernendi peritissimos atque aegrotis suis secundum Humoralis aequa feliciter ac Nervosae Pathologiae sistema medentes. Hinc sequitur, in utroque sistmate vera contineri medico practico utilissima atque saluberrima.

2) Minime negari potest, corporis humores corrumphi aut quem alium statum præternaturalem pati posse; unde postea morbi, tanquam effectus producantur. Humores nostros toties a statu naturali discedere videmus, ut nihil contra tales experientiam objici possit. Nihil sanguinem, id est plethoram ibi adesse necesse est, ubi vasa praeter naturam extensa, nec amplius solidarum partium vires

sanguinis copiae consentaneae sunt. Saepius sanguis deficit, eumque tum attenuari et spissari, tum alio modo a statu naturali decedere posse, in promptu est. Pathemata salivae, bili, lacti noxias venenoque similes particulas instillant. Varia illa bilis mala, ejus abundantiam, defectum, inertiam, acrimoniam, putredinem et in lapidosas materias mutationem quotidie videmus. Innoxia, blanda pinguedo in rodente, rancidam acrimoniam commutatur. Ventriculus et viscera saepissime acidæ, putridas et ejusmodi alias sordes continent. Urina praeternaturali subit statum, sit fabulosa et calculos vehit. His rebus quotidiana experientia clarissime confirmatis, quis est, qui humores corporis corrumpti non posse et Humoralem Pathologiam otiosi cerebri fictionem jam diu refutatam esse, contendat?

3) Sed hoc loco potissimum quaeritur: Haec omnia humorum vitia, quae negari nequeunt, utrum originales sint effectus cau-  
sae morbosae, an prima causa in solidis par-  
tibus lateat? — Ad hanc quaestione re-  
pondeo:

A. Utique in omnibus modo commemo-  
ratis rebus semper fere morbosa causa vim in  
solidas partes, in primis in nervos exercuit, an-  
tequam humores corrupti erant. Plethora non  
ante existere potuit, quam vasa nimio sanguini  
spatium concederent et vires in compara-  
tione cum massa sanguinis deficerent. San-  
guis nec attenuatus nec inspissatus esset, si  
solidae partes circulationem rite semper susti-  
nuissent. Pathemata magnam nervosi syste-  
matis mutationem effecerant, antequam sputum,  
bilis et lac corrumperentur. Ne multa,  
semper fere animadvertes, si humores af-  
fecti sint, primordialiter jam jam partes so-

lidas affectas fuisse. Hanc magni sane momenti rem plurimi veterum Humoralium Pathologorum valde neglexerunt et praeterierunt.

B. Si autem humores vitium, corruptiōnem, acrimoniam semel subierint, inde etiam, ut experientia quotidiana docet, multifarios morbos oriri posse, et ab hac igitur parte Pathologiam Humoralem immotam stare, unumquemque concedere oportebit. Sanguinis abundantia in quibusdam casibus magnas sane molestias gignit. Humores spissi stagnationem patiuntur et attenuati errorem loci subeunt. Acres humores irritare et morbos producere appetit. Hos itaque morbos aequa solidarum partium vitiis, quatenus acrimonia tali vitio producitur, atque ab acrimonia ipsa dependere, contendere licet. Quis non intelligat, Humorales inter et Nervosos Pathologos hac de re litem inde tantum oriri, quod

tinus alterius mentem non perspiciat et ab utraque parte mera verba aucupentur?

C. Hoc denique certum est, in quibusdam causis morbosis valde nobis cavendum esse, ne temere judicemus, si nempe primo aspectu in opinionem deducamur, originaliter et primum in humoribus corruptionem et acrimoniam procreatam esse, quarum sequelae postea solidarum partium morbi sint. E. c. in variolarum inoculatione septem saltem per dies aliquis corpus mutatum non sentiet; septimo demum die, et serius forsan, irritatarum solidarum partium symptomata aderunt, febris orietur. Similis ratio est veneni venerei. Quia igitur morbus post plures demum dies apparet, et vim noxiā exerceat, Humorales Pathologi judicant, prius in humoribus morbum oriri, et venenum venereum aut variolosum praeparari necesse esse, quod postea, tanquam materia irritans, vim in solidas partes exerceat.

Sed hac ex re nil colligi potest, nisi, post ipsam priorem in nervos impressionem tempus quoddam requiri; aut organa prima veneni impressione in statum praeternaturalem transierunt, qui autem nondum eum ascenderat gradum, ut formalis pars et cum illa miasma prius excitaretur, quam tempus quoddam praeterlapsum esset ad sufficientem talis affectionis gradum necessarium. Nec est, quod credamus, tali occasione venenum aequae diu in corpore latuisse; fieri enim poterat, ut hoc jam diu ante morbi eruptionem e corpore removeretur, et per primam solum in nervos et organa vim lenem affectionem relinqueret, quae favente casu suffentata vim tandem consequeretur eam, quam procreatio partis formalis et ipsius morbi requireret. Id tunc praesertim verisimile fit, si cogitamus, tales morbos originaliter sine miasmate sequelas solummodo nervorum primum affectorum esse habendos.

4) Omnino et arti medicae et aegrotis profuerunt, qui recentioribus temporibus operam dabant, ut Pathologiam Nervosam in Humoralis Pathologiae locum substituerent; quia certum est, humorum morbos haud facile extirpare sine solidarum partium vitiis, quia morbi nervosi gravissimam partem continent, in qua medicorum praxis versetur, et quia veterum Pathologorum Humoralium pracepta multos sane continebant errores, qui viam aperirent ad medendi methodos corpori periculosas et noxias. Sed de hoc postea! Hic annotare tantum liceat:

a) Multi ex Pathologis Nervosis recentioribus justae causae nocuerunt, dum in rejiciendis Pathologiae Humoralis praceptis modum excedebant. Pathologia Humoralis certis limitibus circumscripta corporis humani naturae ita conveniens est, ut non tota, quanquam recentio-

rum quidam id temere opinantur, rejici possit.

b) Evidem ut arbitror, in eo etiam errarunt medici, quod vel in iis morbis, qui omnino pertinent ad solidas partes, saepe minus respexerunt humorum vitia, quae ab his dependebant. Quanquam Pathologiae Nervosae principatum tribuere licet, quamquam profiteri et possumus, et debemus, omnium aut certe plurimorum morborum originem in nervis et solidis partibus quaerendam esse; postea tamen humorum vitia orientur, maxima fane, et Theoreticorum, et Practicorum attentione dignissima.

s) Ex his omnibus haec fere colligi possunt:

Humoralis Pathologiae sistema cum  
Nervosorum Pathologorum systemate

bene conjungi et posse et oportere, ar-  
tisque exercitationem hactenus tantum  
bonam esse et consilio convenientem,  
quatenus utriusque systematis veritati-  
bus nitatur.

---

---

CAPUT QUARTUM.

De medendi methodo, secundum utrumque,  
tam Nervosae quam Humoralis Patho-  
logiae, systema.

---

Si Pathologia omnes morbos ex humoribus derivat, medendi methodum etiam, quae in illa nitatur, omnino humorum vitia spectare necesse est. Quo fit, ut Humorales Pathologi continuo loquantur de evacuatione humorum noxiorum et eorum correctione, qui remanent. Saepius obliviscuntur, medicamina hunc in finem adhibita in solidas etiam partes exercere vim, et hac ratione damnum saepe majus esse utilitate, quae humoribus concilie-

tur. Humorales Pathologi plerumque magni fuerunt Diaetetici et praecipue praeceptis diaeteticis sanguinem minuere, attenuare aut resolvere, acrimoniam edulcorare, involvere et obtundere studuerunt. Alterantia sic dicta remedia, quae occulta ratione humores corrigere debabant, resolventia, sanguinem purificantia, remedia acrimoniae varii generis et ejusmodi alia in eximio pretio apud illos fuerunt, ubi vis evacuandi iis erant corrupti et noxii humores, ubi vis iis videbatur adesse humorum abundantia, quam purgando, sudando, venae sectione aut etiam fonticulorum ope minuendam esse, censebant. In omnibus his medendi methodis solidarum partium status raro respiciebatur.

Omnibus his praeceptis plane contraria fuit Nervosorum Pathologorum medendi methodus. Hi enim remedia resolventia, alterantia, sanguinem purificantia et evacuantia in plurimis morbis noxia censuerunt, tum, quia illa

non valerent ad consequendum finem propositum, tum praeципue, quia solidas partes irritarent, debilitarent aut qua alia nefaria ratione eas afficerent. Atque id etiam jure iis erat concedendum. Horum regulae diaeteticae id semper spectaverunt, ut corpus rite nutritur, viresque et conservarentur et augerentur. Fibra- rum siccitati, laxitati, debilitati, tensioni, sensibilitati et irritabilitati ceterisque solidarum partium simplicibus vitiis eorum remedia potissimum occurrerunt. Humorum vitiositati raro immediate, sed eo potius mederi studuerunt, quod perditum partium solidarum statum naturalem restituere cupiebant. In iis adeo morbis, ubi vitiosis humoribus occurrentum esse apparebat, summam tamen attentionem solidarum partium statui tribuerunt.

Ex hac generali utriusque, tantopere inter se diversae medendi methodi, descriptione, si comparaveris ea, quae capite tertio sunt commemorata, haec facile colligi poterunt:

I. Non potest non perniciosa esse aegrotis omnium illorum medendi methodus, qui morbos ab una tantum parte, aut secundum Humoralis, aut Nervosae Pathologiae systema tractant. Non minoris stultitiae est, humorum morbos a solidarum partium vitio nutritos immediate curare, quam omnibus et singulis vitiis talibus remediis succurrere, quae unice in solidas partes vim exercent. Quemadmodum Pathologia Nervosa ab Humorali segregari non potest, ita etiam bona medendi methodus huic utriusque systematis conjunctioni consentanea esse debet.

II. Medendi methodus, qua Humorales Pathologi usi sunt, in universum plena fuit errorum et perniciosa. Continuo enim verata est in remediis alterantibus, in sanguine ab acrimonia imaginata purificando, ope multizariorum decoctorum, quae tandem solidis partibus omnem densitatem, omne robur detraherent, necesse fuit. Semper operam dedit resol-

vendis humoribus, et, dum comminuere studebat fictam humorum corruptionem, omnem corporis firmitatem et vim comminuit. Quid quod succurrit vitiosis humoribus, quorum falacia symptomata multitudo demum resolventium et evacuantium extorserat. Summa sane laude digna est nostri aevi morbos curandi methodus, quae tam perniciosa talium doctrinarum auctoritatem plane labefactavit et diruit.

III. Sed Pathologi Nervosi etiam in suis medendi methodis modum eximie excesserunt. Medici semper adhuc succurrant multis humorum vitiis, et ad hanc rem resoluentibus, evaneariibus aliisve remediis utantur, necesse erit; nec periculum subibunt abusus illius, in quem quondam Humorales Pathologi inciderunt. Medendi regulae, quae in Pathologia Nervosa locum habent, quanquam commodissimae et nostri aevi morborum genio accommodissimae sunt, perniciosissimae tamen fiunt, si eas sequamur sine respectu humorum vitiositatis. Nuper

quidam dederunt operam, ut totam Pathologiam ad auctam et minutam irritabilitatem reducerent, et huic systemati convenienter, omnibus morbis opio et vino adusto mederentur. Tempus perditurus viderer, si tam insanam doctrinam hoc loco copiose exponerem et argumentis refutarem k).

---

k) Adear, qui pleniores hujus doctrinae expositionem et refutationem desiderat, libellum nuperrime editum: Journal der Erfindungen, Theorien und Widersprüche in der Natur - und Arzneywissenschaft. Erstes Stück p. 23 sqq. Zweites Stück p. 98 sqq.

---

CAPUT

---

CAPUT QUINTUM.

Loca praecipua, in quibus nostra recentior  
medendi methodus, postquam Pathologia  
Nervosa introducta est, a priore  
differt.

---

Inter omnia illa, quibus recentior medendi me-  
thodus excellit, id quidem videtur maximum,  
quod ab ea vires vitales diligentissime et obser-  
ventur, et ducantur, et denique sustententur.  
Nostrī medici non audent, remedia humorum  
vitiositati adhibere, nisi virium vitalium statum  
antea consuluerint. Assiduam tribuunt atten-  
tionem viribus naturae salubribus, a quibus lon-  
ge plura exspectant, quam ab omnibus medica-

C

mentorū effectibus. Cum Pathologia Humoralis floreret, humores tam diu minuebantur et corrigebantur, usque dum aegrotus periret.

Ex quo Pathologia Nervosa introducta est, nos multo magis, quam majores nostri corporis sympathias notatu dignissimas respeximus. Has sympathias, tanquam fontes multorum morborum cognovimus, iisque saepissime usi sumus, ut medicamentorum effectus ad certas partes ducerentur.

Diaeta nostra aegrotis observanda permanenti subiit mutationem. Veteres Pathologi Humorales aegrotos esurire jusserunt, aut nutrimenta tantum tenuia et aquosa iis raro concederunt; nos contra aegrotis commendamus cibos nutriendo aptos, imo tales, qui non mediocres coctionis vires desiderant, licet hae vires debili et inertī modo operentur. Obstupescerent sane Diaetetici priorum temporum severiores de no-

bis, qui liberalissime aegrotis carnem, et coctam, et fumo induratam, vinum et hujusmodi alia praebemus. Confuetudo etiam, per artes gymnasticas morbos curandi, vulgaris fit, postquam Nervosae Pathologiae praecepta majorem apud nos obtinuerunt auctoritatem 1).

De corporis corroboratione nos jam multo rectius judicamus majoribus nostris, et experientia nos docuit, ad compensandas amissas vires, et earum, quarum functiones oppressae tantum sunt, restitutionem multo plus requiri, quam effectam sanguinis correctionem. Plurima, quibus ad roborandum utebantur majores, remedia, in stimulantium numerum rejecta sunt, a quibus vires ad tempus solummodo existantur.

---

1) Exemplum nuper exhibuit *Salvadori* von der Lungenfucht, Leipzig 1791. 8.

Nullo alio tempore quam nostro in tam  
communi usu fuerunt remedia anodina, an-  
tispasmodica et ejusmodi alia, quae praesertim  
systema nervosum spectant. Quando unquam  
tanta audivimus de morbis spasmodicis, quam  
hac aetate, quae morbis nervosis tantopere  
abundat?

In locum methodi sudoriferae, quae ni-  
mium calorem producebat et plane nitebatur in  
Humoralis Pathologiae erroribus, hominibus sa-  
luti antiphlogistica methodus successit. Quae  
quanquam saluberrima fuit, ea tamen mox abusi-  
funt medici, potissimum, quod fontem cuiusvis  
praeternalis caloris et omnes motus febriles  
e sanguine falso derivarunt. Operam dederunt,  
ut refrigerarent sanguinem et imminutione inanis  
abundantiae calorem, febrim et inflammationem  
sedarent. Qua ratione autem multae febres sa-  
lubres sunt suppressae, aegroti sine necessitate  
debilitati eorumque status multis modis deterior  
redditus est. Talem abusum post introductio-

nem Pathologiae Nervosae certius quam unquam cognovimus, beneficam medendi vim, quam saepe natura febribus tribuit, intelleximus <sup>m)</sup> et usum methodi antiphlogisticae nimis extensum valde limitare jam incepimus.

Nostra etiam doctrina de putredine in corpore vivo et de metodo antisepatica illi veterum vix ulro similis est, quae in Pathologia Humorali nitebatur.

Cognovimus, magnum esse discrimin inter putredinem, quae extra corpus nostrum existit, et inter statum, cui in vivo corpore hoc nomen tribuitur. Intelleximus, putredinem hanc nil esse, nisi permagnum virium vitalium defectum, et in curandis putridis morbis harum virium conservationem in primis esse respiciendam, ita

---

<sup>m)</sup> J. F. Mezler über die Vortheile des Fiebers in langwierigen Krankheiten, Ulm 1790. 8.

tamen, ut earum actio remediis stimulantibus non augeatur, quia non potest fieri, quin haec remedia corpus debilitent et ad vires vitales magis imminuendas conferant *n*).

In adhibendis evacuantibus remediis cautiores facti sumus. Vomitoriis, quae duae Stollio praesertim vulgatoria redditia sunt, licet in certis conditionibus saluberrima sint, hoc tempore tamen majore cautione adhibita medici utuntur, praesertim in acutorum morborum initiis. Purgantia medicamenta non ultiro adhibemus ad purificandum sanguinem et reliquos humores. Remediis, quae vehementiorem sudorem movent, raro et certis tantum in rebus utimur. Praecipue vero parce utimur venae sectione et abhorrescimus a sanguinis torrentibus, quae a

*n*) Egregie de gravissimo hoc argumento commentatus est C. F. M. Goldhagen de abusu excitantium in febribus putridis, Halae 1790. 8.

majoribus nostris, dementer sane, effundi ju-  
bebantur <sup>o)</sup>). De ulcerum artificiosorum fonti-  
cotorumque utilitate jure dubitamus. Ne mul-  
ta, experientia ubique docet, evacuandi metho-  
dum, quae quondam in fictis humorum vitiis  
nitebatur, a medicis nunc angustioribus fini-  
bus esse circumscriptam.

Nec fere quisquam medicamentis praefer-  
vativis, quae olim in usu erant, sanam humo-  
rum conditionem et mixturam conservandam  
esse censet.

Ex harum generalium therapeutarum sen-  
tentiarum a priorum temporum sententiis discri-  
mine per se jam intelligitur, quantopere ut in  
singulorum morborum tractatione a majoribus  
nostris differamus, necesse sit. Nos longe aliter

<sup>o)</sup> J. F. Mezler Versuch einer Geschichte des Ader-  
lasses, Ulm 1793, 8.

ac olim curamus febres et inflammationes, aliter exanthemata acuta et chronica, aliter morbos rheumaticos, arthritidem, luem venereum et ceteros cum acrimonia conjunctos morbos; nos alia remedia in hydrope et malis tabescentibus adhibemus etc.

Varia discriminum genera, cum jam ex iis, quae antea commemorata sunt, appareant, hac in tractatione, cuius fines circumscripsi sint, jure praeterire possumus.



20

W.B.

PICA





DISSERTATIO  
MEDICA INAUGURALIS,  
SISTENS  
BREVEM PATHOLOGIAE,  
TAM NERVOSAE,  
QUAM HUMORALIS,  
DELINEATIONEM

CUM RECENSIONE

METHODI MEDENDI HODIERNÆ  
PATHOLOGIAE NERVOSAE  
SUPERSTRUCTAE,

QUATENUS

A PRAXI, OLIM PATHOLOGIAE HUMORALI  
ACCOMMODATA, DIFFERT.

PROMOTORE

VIRO ILLUSTRÌ

PHILIPPO FRIEDERICÒ MECKEL,

PROFESSORE MEDICINÆ ORDINARIO

INSTITUTI CLINICI CHIRURGICI

DIRECTORE

DIE V OCTOBRIS, c̄lo 1o CCXCIII.

AUCTORE

MOSE MARX.

HALENS.

---

HALAE,  
LITTERIS F. W. MICHAELIS.

